Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ita fecerunt sicut vobis dixerat. Et ipse dixit
ad illos. O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus
quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati xpm. Et ita intrare in gloriam suam. Et
incipiens a moyse et omnibus prophetis interpretabat illis scripturas in
omnibus que de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant. et
ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum dicentes. Mane nobis
cum. quoniam advespascit et inclinata est iam dies. Et intravit cum illis.
Et factum est dum recumbit cum illis. accepit panem et benedixit ac fregit
et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum. Et
ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem. Nonne cor nostrum
ardens erat in nobis dum loquitur in via. et aperiret nobis scripturas.
Et surgentes eadem hora regressi sunt in hierusalem. et invenerunt congre-
gatos undecim et eos qui cum ipsis erant dicentes. quoniam surrexit dnus
vere. et apparuit simoni. Et ipsi narrabant que gesta erant in via et
quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Feria iij. lectio actuum apostolorum
In diebus illis. Surgens paulus et manu silentium indicens ait
Viri fratres filii generis abraham et qui in vobis timetis dominum vobis ver-
bum salutis huius missum est. Qui enim habitant hierusalem et prin-
ceps eius ignorantes hunc et voces prophetarum que per omne
sabbatum legunt iudicantes impleverunt. Et nullam causam mortis
invenientes in eo petierunt a pilato ut interficerent eum. Cumque con-
sumasent omnia que de eo scripta erant deponentes eum de ligno
posuerunt eum in monumento. deus vero suscitavit eum a mortuis. Qui
visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de gali-
lea in hierusalem. qui usque hoc sunt testes eius ad plebem. Et nos
vobis annunciamus eam que ad patres nostros repromissionem factam est.
quoniam deus hanc adimplevit filiis nostris resuscitans dominum nostrum
Sdm lucam.
In illo tempore. Stetit ihesus in medio discipulorum suorum. et dixit eis.